Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26015
Copyright: Admont, Benediktinerstift

centem dominum. ego dominus seduxi prophetam illum. et quod ait apostolus. cuius uult miseretur.
et quem uult obdurat. in eo quem seduci permittit. uel obdurari. mala eius me-
rita credite. in eo uero cuius miseretur gratiam dei non reddentis mala pro malis. sed bona
pro malis. fideliter et indubitanter agnoscite. nec ideo auferetis a pharaone li-
berum arbitrium. quia multis locis deus dicit. ego induraui pharaonem. uel induraui.
uel indurabo cor pharaonis. non enim propterea ipse pharao non indurauit cor suum. nam
et hoc de illo legitur. quando ablata est ab egiptiis cynomia. dicente scriptura. Et in-
grauauit pharao cor suum. et in isto tempore noluit dimittere populum. ac per hoc
et deus indurauit. per iustum iudicium. et ipse pharao per liberum arbitrium. Certi ergo esto-
te. quia non erit inanis labor uester. si in bono proposito proficientes perseueretis usque
in finem. Deus enim qui modo illis quos liberat non reddit secundum opera eorum. tunc reddet unicuique
secundum opera eius. Reddet omnino deus et mala pro malis. quoniam iustus est. et bona pro ma-
lis quoniam bonus est. et bona pro bonis. quoniam bonus est et iustus est. tantummodo mala pro bonis non red-
dit. quoniam iniustus non est. Reddit ergo mala pro malis. penam pro iniusticia. et reddit
bona pro malis. gratiam pro iniusticia. et reddit bona pro bonis. gratiam pro gratia. Repeti-
te assidue librum istum. et si intelligitis deo gratias agite. ubi autem non intelligitis
orate ut intelligatis. Dabit enim uobis intellectum. Mementote scriptum esse. Si quis
uestrum indiget sapientia. postulet a deo qui dat omnibus affluenter. et non improperat. et dabitur
ei. Ipsa est sapientia desursum descendens. sicut ipse apostolus iacobus dicit. Illam uero sapientiam re-
pellite a uobis. et orate ut non sit in uobis quam detestatus est ubi ait. Quod si zelum ama-
rum habetis. et contentiones in uobis sunt. non est ista sapientia desursum descendens.
sed terrena. animalis. diabolica. Vbi enim zelus et contentio est. ibi inconstan-
tia est. et omne opus prauum. Que autem desursum est sapientia. primum quidem pudica est.
deinde pacifica. modesta. suadibilis. plena misericordia. et fructibus bonis. inesti-
mabilis. sine simulatione. Quid boni ergo non habebit. qui hanc sapientiam postulaue-
rit. et impetrauerit a domino. Et hinc intelligite gratiam quia si ex nobis esset ista sa-
pientia. desursum non esset. nec ab ipso qui nos creauit deo postulanda esset. Fratres
orate pro nobis. ut temperanter et iuste. et pie. uiuamus in hoc seculo. expectantes
illam beatam spem. et manifestacionem domini et saluatoris nostri ihesu christi. cui est
honor et gloria et regnum cum patre et cum spiritu sancto in secula seculorum. AMEN.

Liber sancti augustini. de correptione et gratia. ad ualentinum.

LECTIS litteris uestris ualentine frater dilectissime. et qui simul seruitis
deo. quas per fratrem florum et eos qui cum illo ad nos uenerunt. misit caritas uestra.